


DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

P N E U M O N I A.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

CAROLUS ANNESLEY,

HIBERNUS;

SOCIETATIS REGIÆ PHYSICÆ EDINENSIS

SOCIUS HONORARIUS.

Venienti occurrite morbo.

HOR.

Ad Diem 12 Septemb. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART

ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

1803.

VIRO NOBILI,
PRÆSTANTISSIMO
JOANNI CLAUDIO BERESFORD,

SENATORI DIGNISSIMO &c.

OMNIBUS VIRTUTIBUS
TUM PUBLICIS, TUM PRIVATIS

EGREGIE CONSPICUO;

HOC OPUSCULUM

GRATI ANIMI TESTIMONIUM,

EA QUA DECET OBSERVANTIA,

DICAT, CONSECRATQ.

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA.

AUCTORE CAROLO ANNESLEY.

QUONIAM non bene convenit inter auctores de signis quibus Peripneumonia a Pleuritide semper certo dignoscatur; et parum sane interest, quippe eadem medendi ratio utrisque accommodata est; varia tamen pro vario morbi gradu, sub generali nomine Pneumoniæ, de inflammatione quæ pleuræ vel pulmonum substantiæ contingit, pauca disceptare statui.

A

Observandum

Observandum quoque est hanc inflammationem, utcunque in partibus membranaceis vel in substantia parenchymatosa pulmonum inciperit, nequaquam in parte ubi primum sese ostendit semper contineri.

MORBI HISTORIA.

Hic morbus languore, lassitudine, et sensu frigoris vel horroris ut plurimum obrepit; nonnunquam adsunt nausea et vomitus; his brevi calor auctus supervenit, et pulsus plenus, durus et frequens evadit.

Dolor acutus in latere, sæpe ab initio adest; interdum tamen pyrexia signa primum apparent. Nonnulli voluerunt latus dextrum sæpius quam finistrum laborare, non autem sat valida ratione. Dolor sæpe varias thoracis partes petit, plerumque tamen circa sextam vel septimam costam,

costam, antè sedem figit, modo sub sterno, modo ad dorsum sentitur, nunc ad scapulam vel claviculam jaculatur, nunc fixus in sede manet, nunc ad alteram partem transvolitat. Dolor sæpe pungens et acutus est, aliis temporibus obtusus potius, et æger præsertim sub inspiratione pleniori vel tussi, de eo conqueritur. Respiratio per totum morbi decursum difficilis est, et eousque nonnunquam ingravescit, ut ægri non nisi corpore erecto spiritus ducere possunt.

Tussis quoque quæ, etiam ab initio urget, haud parum molestiæ creat, ægrum continuo fatigat, et dolorem multum intendit; primum sicca est, vel cum expuitione parca comitata; tandem humida evadit, et cum expectoratione materiæ crassæ, flavæ, et variæ crassitudinis, nunc uberiore nunc parciore, et pauxillo sanguinis sæpe tinctæ, stipatur. Alvus plerumque astricta est; et urina prodit nonnunquam tenuis et limpida, sæpe coloris rubri, et interdum solito parcius et difficiliter redditur. Morbo pro-

grediente

grediente omnia signa graviora fiunt, spiritus difficillimè trahitur, facies tumida et purpurea evadit, omnia febrilia signa ingravescunt, pulsus durior et validior fit, calor auctus, et fitis perpetua vexat, loquela fere deficit, vigilia continua, vel insomnia horrenda ægrotantem fatigant, tandem spiritus cum sono strepente perficitur, oculi languent, extrema frigent, sudor e capite et collo prorumpit, et alia pessima signa mortem instantem prænuntiant.

Pneumonia resolutione, suppuratione, gangræna, et demum effusione finiri potest; de his igitur terminationibus, pauca ordine dicenda sunt.

Si inflammatio levis fuerit, et morbo ab initio perite occurritur, pneumoniae resolutionem intra primam hebdomadam jure expectamus; judicium autem de morbi eventu, ex remissionibus quæ in primis diebus occurrunt, cautissime ferendum est; hæ enim sæpe admodum fallaces sunt, et morbus sæpe nova vi recrudescit. Cum

Pneumonia

Pneumonia resolutione finitur, evacuatio quædam hanc plerumque comitatur, sæpe fudor calidus, tenuis, per totum corpus æquabiliter diffusus hunc exitum felicem prænuntiat; præsertim si eodem tempore signa remiserint; nec non urina turbida sedimentum lateritium copiose deponens, quæ quoque interdum materiam albam, mucosam demittit. Sanguinis fluxus ex diversis partibus, præsertim si ubertim e naribus vel venis hæmorrhoidæis profunditur; et diarrhœa biliosa, finem morbo nonnunquam imponit. Signum autem resolutionis certissimum ex expectoratione petendum est, si sputa alba, crassa, et lævis, copiose et facile prodeunt, et cum signis morbi mitioribus comitantur, maxima salutis spes affulget, etsi sanguine leviter tincta fuerint, terrorem non incutiunt; hoc enim a nonnullis in salutem potius cedere habetur.

Si signa pneumoniæ graviora per sex septemve dies sine ulla remissione persistierint, suppuratio

tio maximè timenda est ; in hac autem prædicenda ad signa, potius quam ad tempus quo morbus duraverit, respiciendum est. Si autem nulla adsint resolutionis indicia, et expectoratio prius libera subito parca evadit, vel omnino supprimitur, si febris ardor paullulum remittit, et pulsus molliores et pleniores fiunt ; si horrores frigidi subinde recurrunt, et sudores sine ullo levamine e diversis partibus, præsertim e capite et thorace prorumpunt, gravissima causa adest cur suppurationem instantem suspicimus ; jam factam tussis adhuc molesta, dyspnœa persistans vel aucta, dum dolor levatur, decubitus in latus affectum facilius, nullus in positura supina, et febris noctem versus ingravescens, veram hecticam æmulans, abunde testantur.

Si post vehementem inflammationem prægressam, dolor subito evanescit, arteriæ pulsus frequentes, parvi et intermittentes evadunt, et expectoratio cruenta vel nigra fit, spiritus tetrum odorem spirat, vultus languidus et demissus,
oculi

oculi hebescentes et luridi observantur; si corpus sudore frigido diffluit, mens aberrat, et alvus dejectionibus fætidis fluit, grangrænam adesse suspicari fas est. Hæc autem morbi terminatio raro occurrit; et cum revera adfit, plerumque cum effusione comitatur.

Cum effusio sanguinis vel feri in substantiam cellulofam vel in vesiculas aëriferas pulmonum obtinet, vitam fere semper extinguit, et notatu dignum est hanc terminationem infaustissimam sæpe signis haud ita gravibus subito supervenire. Cum igitur vires maxime collabuntur, pulsus valde celeres, debiles et intermittentes fiunt, facies collapsa livescit, expectoratio supprimitur, et summa spirandi difficultas ægrum corpore erecto spiritum ægerrime repetitis nisibus ducere cogit, et suffocationem instantem minitatur, effusionem jam peractam esse colligi potest.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Nulla ætas ab pneumoniæ insultu omnino immunis est, raro autem ante pubertatis ætatem homines adoritur. Qui annum inter quadragessimum quintum et sexagesimum agunt huic morbo a Culleno magis opportuni habentur. Alii autem summi nominis ullam post pubertatem ætatem præ alia ei esse obnoxiam negant †. Sanguineos, validos, firmis fibris præditos, et qui morbo jam antea laboraverunt, quam debiles et laxos, frequentius invadit. Hinc viri quam fæminæ ei magis patent. Morbi quoque pecoris prægressi, et conformatio quædam prava thoracis, homines pneumoniæ procliviores reddunt.

Inter Causas excitantes frigus corpori admodum præ aliis eminet, hanc enim causam sæpissime

† Audi Gregorii Prælectiones.

siue agnoscit. Vis frigoris si cum humore
conjunctum fuerit, et corpori præter solitum
calenti admotum multum intenditur. Ratio
nequaquam patet, quare ex frigore suscepto, et
perspiratione subito suppressa, mala quæ progig-
nuntur, nunc in pulmones, nunc in hepar, et
aliis temporibus in juncturas incumbunt; si
autem ex quacunque causa sanguis minus libere
ad superficiem corporis defertur, hæ partes quæ
sanguine maxime plenæ sunt, congestioni magis
obnoxia fiunt, et plus æquo patiuntur. Qui in
regionibus frigidioribus degunt, pneumoniæ
magis proni habentur; hieme et vere sæpius
grassatur, tum enim cælum subitis mutationibus
maxime obnoxium est. Nulla autem est regio
vel anni tempus, quæ ex hoc morbo immuniã
existunt. Hic morbus alias quoque causas ag-
noscit, exercitatio corporis, vel præsertim pul-
monum nimia; diuturna vocis contentio quod-
cunque pulmones exagitat vel lædit; fumi noxii
in eos accepti, vis externa, vulnus, acidorum
acrium vapores, pneumoniam nonnunquam
B excitant.

excitant. Aliis quoque morbis interdum supervenit; catarrhi enim, podagræ, morborum pectoris, et rubeolæ effectus est.

Signorum quorundam ratio dolor omnes inflammationes plus minus comitatur, sanguine enim in partem affectam uberius influente, nervi sensum acutiorem adepti nimis urgentur, vel distrahuntur; dicitur dolorem acriorem esse et magis pungentem, cum pars membranacea quam cum substantia parenchymatosa laborat.

Dyspnœa ex dolore præsertim, quem ægrotans inspiratione pleniore percipit deducenda est; hinc spiritum ægrius et arctius ducere cogitur, ne eum exasperet; nec minus huc spectat, sanguis in pulmonibus nimis congestus, libero ei transitu denegato. In provectoribus quoque morbi stadiis serum vel sanguis vel pus in vesiculas aëriferas effusum, aëri aditum omnino fere recusant; hinc intolerandus suffocationis sensus

ægrum

ægrum miserrime torquet. Tussis ex aucto sensu membranæ internæ bronchiorum, quo fit ut stimuli lenissimi irritationem molestantem creant proficiscitur.

Cum æger, ut plerumque evenit, in latus affectum difficilius decumbit, ad pulmonem sanum alterum plus æquo urgentem attribui potest; respiratio quoque fere difficilior evadit, cum in latus laborans decumbit, nonnunquam tamen facilius in latus affectum reclinatur, quod ex adhæsiōne pendere videtur; tum enim pulmo suo pondere distrahitur, ex pleura cui adhæreat, et lacerationis sensum excitat. Cum facies rubore suffunditur, vel impedita sanguinis per pulmones transmissio, quo fit ut obstatur reditui ejus per venas, vel impetus ejus vehementior in causa est. Cum vultus livescit, præsertim in gradu morbi magis provento, cum pulmones effusione quadam fere ex toto obstruuntur, hicce color, ex sanguine debitam mutationem, qua muneribus aptior evadit, non subeunte, repetendus est.

DIA

DIAGNOSIS.

Inter quosdam morbos qui cum pneumonia confundi periclitantur, diagnofin stabilire neceffe eft. Inter pneumoniam et gastritidem diagnofis fatis patet. Gastritis enim febretyphode, vomitu, fingultu ftipatur; ingefta quoque protinus rejiciuntur, et dolor ardens ad regionem epigafttricam pertinet. His igitur facile a pneumonia feperatur. In hepatitide æger in latus affectum facilius decumbit, dolor quoque in hypochondrio dextro, preffura augetur; ad fummum humeri dextri quoque propagatur; tuffis in hepatitide fere femper ficca eft, in pneumonia autem humida; fingultus quoque et vomitus fæpe in illa, raro in hac vexant. In peripneumonia notha omnia figna leviora funt, febricula levis, et pulfus debilis eft, et catarrho quam pneumoniae conjunctior apparet; debiles, languidos,

languidos, ætate provectos, et intemperantiæ deditos imprimis quoque aggreditur.

Splenitis sedem in hypochondrio sinistro figit, tumor sæpe adest, et pars affecta, pressura admota, magis dolet.

A pleurodyne facile separatur; in hoc enim morbo pars correpta rubet, et ad tactum dolet.

PROGNOSIS.

Quod ad prognosin hujus mali attinet, pulmonum inflammatio nunquam utcunque levis fuerit, periculo omnino caret; nonnunquam enim ab initio morbus ita lenis accedit, ut æger eventum fere negligat; si autem remedia idonea non in auxilium opportune vocata fuerint, sæpe subito in pejus ruit, et omnia signa citissime ingravescent; judicium igitur de hujus mali eventu caute ferendum est, et præsertim ex natura signorum, ex ægri viribus, et ex duratione

ratione morbi, petenda est. Si pyrexia vehemens est, pulsus validus, citatus, et durus; calor ardens, et facies tumida, rubore suffusa, morbum graviolem futurum esse jure expectamus. Ad signa quoque inflammationis topica animum sedulo advertere debemus. Si dolor gravior fuerit, et gradatim totum thoracem fere occupat, vel ex latere quo primum fixus erat, in alterum transeat, si respirationem valde difficilem reddit, et perpetua dura, et sicca tussi exasperatur, morbus haud parum periculi secum affert. Non autem inde concludere liceat dolorem leviolem periculo carere, nonnunquam enim, etsi hic minus urget, si respiratio multum turbatur, et alia signa graviora sint; æger sæpe in pessimo statu versatur.

Ad statum respirationis maxima cum attentione semper animum advertere debemus; si enim spiritus pene cohibitus obstat ne æger vel in unum vel in alterum latus decumbat; si etiam ex positura supina, horrendo suffocationis sensu ad erectum
semet

femet recipere cogitur ; et ibi ore aperto, facie livida, vel fere nigrescente, et tristissimo aspectu vultus, spiritum trahere viribus omnino exhaustis connititur ; si eodem tempore adsit pulsus debilis et irregularis, et sudores frigidi e partibus quibusdam diffluunt, conclamatum est.

Expectorationis quoque ratio haud parum ad prognosin formandam confert: si enim lævis est, cito apparet, facile et copiose rejicitur, et non cum dura et vehementi tussi comitatur, et præsertim si signa, hac uberius prodeunte, mitescere incipiunt, bonum est. Quoniam autem morbus raro sine expectoratione solvitur, si hæc non appareat, vel iterum supprimitur, vel parca evadit, et colorem tenuem, parum coctum, vel nigrum ostendit, exitum non ita felicem prædicere possumus. Delirium quoque, coma, stupor, vel tendinum subsultus, pessime augurant. Cum morbus vehemens vel resolutione vel morte finitur, plerumque intra primam hebdomadam evenit ; si mitior autem fuerit, vel remissiones patitur

tur sæpe longius multo protrahitur. Observandum quoque est nullum alium fere esse morbum ubi remedia tempestive adhibita plus valent, neglecta vel imperite administrata magis nocent. Facile igitur quoque patebit debilem corporis structuram, quæ remedia idonea non perferre potest, homines in gravius vitæ discrimen adducere.

MEDENDI RATIO.

Ex celeri passu quo pneumonia ad exitum infelicem sæpe festinat, nullum alium morbum promptiorem remediorum usum efflagitare nemo non agnoscit.

Remedium in quo sola fere salutis spes merito posita est, detractionem sanguinis copiosam et pro signorum ratione repetitam esse, ab omnibus conceditur.

Ab initio igitur sanguinis missio copiosa ex magno vulnere inflictio imperanda est, et brevi interjecto intervallo repeti debet, ratione virium, ætatis, temperamenti, et morbi vehementiæ habita. Nonnulli venam brachii ejus lateris quod laborat incidere præcipiunt; parum autem referre videtur, utrum ex latere affecto vel ex altero detrahatur. Quantitas sanguinis quæ educi debet ex vehementia morbi, et ex levamine a priore ejus detractioe accepto multum pendebit. A principio raro infra duodecim vel supra viginti quatuor uncias abstrahere liceat. Si dolor imminuitur, pulsus mollior evadit, respiratio fit magis commoda, et tussis minus molesta, dum sanguis effluit, quantitas assumenda moderari debet; sæpe autem signa nova vi recrudescunt, et sanguinem, etiam eodem die, iterum esse detrahendum monent. Beneficia quæ nonnunquam ex deliquio oriuntur, sanguinem detrahare donec ægroti animo relinquuntur, nonnullos induxit; hoc autem non semper fieri potest; sunt enim qui facillime ex minuta admo-

dum fanguinis jactura in deliquium incidunt, dum alii maximam ejus vim sine ullo deliquio amittunt. Quod ad tempus morbi quo sanguis commodius detrahi potest, attinet, hæc tutius et majori cum beneficio inter primos dies fieri potest; si autem non adsint suppurationis signa, et febris ardens, pulsus validus et durus, dolor gravis, et respiratio valde difficilis fuerit; etsi morbus ad quartam decimam diem persistiterit, hocce remedium non vetitum est, præsertim si morbus post remissionem iterum recrudescat. Cavendum autem semper est, ne sanguis majori copia, quam signorum ratio exigat, incauté profunderetur; sin aliter vires omnino profusæ, ad morbum solvendum parum valebunt, et effusio lethalis, vel dirus hydrops, vel phthisis insanabilis supervenerit. Dicitur quoque ex sanguine justo copiosius detracto, expectorationem nonnunquam male reprimi. Post sanguinem semel vel bis, secundum violentiam signorum, mature detractum, vesicatorium parti dolenti proxime admovisse haud parum proderit.

Expe-

Experientia enim comprobatum est, hoc remedium sæpe plurimum in morbo discutiendo valere, ulteriorique sanguinis detractiōni supersedere. Nec minoris momenti est, quod, ex morbo nimis provento, et insigni virium lapsu, sæpe sanguinis ulteriori detractiōni non locus sit, cum hæc sæpius impune admoveri possunt, et cum maximo beneficio.

Remedia expectorantia diversi generis ad sputum promovendum usurpata fuere; horum autem lenissima solummodo adhiberi possunt, si enim corpus irritant, stimulant, vel vomitum inducunt, plus mali quam boni præstant. Aquæ vapores in pulmones inhalati forsan præ aliis anteponendi sunt; cum pauxillo aceti commixti sæpe efficacius agunt; hoc autem sæpe pulmones nimis irritat. Demulcentia mucilaginosa irritationem sæpe imminuunt, et tussim mitigant, et mucii acrimoniam obtundunt. Diluentia quoque tepida, subacida, et fructus acescentes

centes sæpe ægro admodum grata sunt, et vim febris interdum temperant. Omnia quæ fudorem proliciunt, faltem calida et stimulantia cautissime evitanda sunt. Si autem sudor generalis, calidus, tenuis, e toto corpore libere proruperit, et morbi vim mitigat, iis quæ minime stimulant, promovendus est. Neque minus sedulo ab omnibus quæ mentem exagitant, vel corpus stimulant, ut pathemata animi, calor &c. cavendum est. Calor cubiculi quo aeger decumbit intra quinquagesimum et sexagesimum Farh. gradum contineri debet.

Per totum morbi decursum alvum plerumque astrictam leniter subducere convenit. Cathartica autem acriora usu artis versati, in hoc morbo exulari jubent; semper enim nimis irritant, et sputa inhibere possunt; quæ autem mollius agunt, feбри et inflammationi obstant, præsertim sales neutri qui corpus refrigerant.

Enemata laxantia in plerisque casibus alvum fatis ab sordibus liberant, tutiora quoque sunt, et parum negotii ægro facestant.

Etsi in primo morbi stadio cum signa inflammationis urgent, opium cautissime fugiendum est, morbo jam provento, si tussis multum molestiæ creat, somnum interpellit, et vires exhaust, opiata quæ hujusmodi irritationes consopiant, hand parum sæpe profunt.

Quod ad victus rationem attinet, tenuissimus esse debet, minime stimulans, et concoctu facilissimus.



